Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 175
Quelle:
Copyright:

Marchionatu Auſtrie. Lapſus luculentus pro a. 1012.

Anno d. MCCLXXXXVIII. Rex adolfus (Naſſovius) *a duce Alberto Auſtrie occiditur.*

Anno d. MCCC. Rex tartarorum (Caſan-khan) *Soldanum regem babilonie* (Naſer Mohammed) *interfecit et ſepulchrum dominicum acquiſitum oleo roſacio emundauit. et ipſe baptiſatus cum toto exercitu. ſanctam terram fere totaliter expugnauit et in feſto Natiuitatis domini precedente ſtella Comata mediocris apparuit manifeſte.* De Cometa teſtatur Hevelius et Lubieniecius, cetera vera falſis mixta, ut ſolet, per Europam ſparſa.

LXXI. VIII E. 16.

365 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 126. f. nitide exaratus, rubricisque diſtinctus continet: I. *Commentaria in Pentateuchum*, quibus manus Sec. XIV. inſcripſit: *Beati Remigij Super quinque Libros Moyſi.* Edidit *Remigii Antiſſiodorenſis* O.S.B. *Commentaria in Geneſin* ſolertiſſimus *Bern. Pezius* T. IV. *Theſ. Nov. Anecd.* quae a noſtris toto coelo abeunt. Sunt enim Noſtra *Brunonis* ex Monacho *Aſtenſi* et Abbate *Caſſin.* ad infulas *Signienſes* promoti, mortuique a. 1125. de quo plura in *Mauri Marcheſii Diſſert.* ejus *Operibus* praefixa, quae ex edit. *Veneta* 1651. in *Bibl. PP. Lugd.* T. XX. ad p. 1294. commigrarunt, initiumque ducunt a *Commentariis*, quae prae manibus habemus. Abeſt a *Codice* Epiſtola praevia ad *Petrum* Coepiſcopum. Opus ipſum ſic inchoat: *In principio creauit deus celum et terram. In principio inquit et ante omnem creaturam creauit deus celum et terram. Hoc enim et pſalmiſta teſtatur* &c. Atque ita, ut in Editis, ſi lectionis hinc inde variationem demas, usque ad finem decurrit, qui eſt: *ſed ſpiritum uiuificantem ſequamur ut in eternum uiuamus. Quod ipſe nobis praeſtare* &c. Quibus rurſus imperitus ille ſubjecit: *Expliciunt expoſitiones beati Remigij, Rhemenſem* illum, ut nullus dubito, in mente habens.

II. *fol.* 125. Sequuntur Carmina non tamen στιχηρως exarata *Hildeberti* ex Monacho *Cluniac.* ad Sedem *Cenomanenſ.* et tandem ad Archiepiſcopatum *Turonenſ.* provecti mortuique a. 1139. cujus nomen tacetur. Primum incipit:

Melchiſedech domino panem uinumque litauit &c.

Extat in *Hommeyana* et *Beaugendriana* Opp. *Hildeberti* editione, et in hac quidem *Pariſ.* 1708. *col.* 1151. Sed addam, quae *Codex* noſter aliter et ſaltem non pejus legit. V. 5. *diluit* pro *expiat.* v. 17. *caro carnes* pro *crux carnes.* v. 27. *bona traditio* pro *pia.*